

nobilissimus, Dei Filius. Ergo hic in eum descendit mero nostri amore, sicque mox sinus ille terræ oclusus fuit, neminique deinceps patuit.

Secunda, ut devicto diabolo prædam ei eriperet et spolia, vinetos scilicet patres, qui in limbo definebantur. Tertia, ut impleteret omnia, inquit apost. ad Eph. IV. hoc est, ut, sicut potestatem suam ostenderat in terra vivendo et moriendo, sic etiam eandem ostenderet in inferno, illum visitando, illuminando et effringendo. Erat ergo velut sol quidam totum percurrens orbem, ut omnibus impertiret suum lumen et calorem.

Secundo, die prima sabbati seu hebdomadæ, hoc est, die dominico : sic dicto a resurrectione Domini, Apoc. I. Nec incongrue; ille enim dies primus erat mundi, in quo Deus cælum et terram creavit, dixitque : *Fiat lux, et facta est lux* : dies vero resurrectionis Domini, dies prima est recreati et Deo reconciliati mundi, in qua Christus lucem gratiæ mundo impertivit : et jam non quasi terrenus, sed quasi cælestis homo apparuit.

Tertio, mane in diluculo seu aurora, de communiore sententia. Ita enim videntur exponenda verba illa Marc. XVI. *Surgens Jesus mane prima sabbati apparuit primo Mariæ Magd.* ut videlicet mane copuletur cum voce surgens, quod suavis constructio petit. Idem sentit Ecclesia in hymno : *Aurora lucis rutilat, cum rex ille fortissimus, victor surgit de funere.* Accedunt prophetiæ, Ps. XLVI. *Exurgam diluculo.* Et in titulo Ps. XXI. qui inscribitur, *Pro cerva matutina seu aurora.* Talis autem cerva Christus fuit, cum mane de sepulcri latibulo prosiluit. Causam primam exponit S. Thom. III. p. q. XLIII. art. II. dicens : *Christus surrexit juxta diluculum illucescente jam die, ad significandum, quod per suam resurrectionem nos ad lucem gloriæ inducebat.* Secundam S. Leo, ser. I. de resurr. *Asturbatos discipulorum animos longa mæstitudo cruciaret.* Tertia moralis, ut nos doceret tempestive Deo servire, cito et alacriter ad bona opera nos accingere, denique summo mane surgere, et ad opus prodire.

Quarto, tertio die; qui tamen tres dies non sunt omnes integri : sed quoad primum et tertium pars pro toto sumenda est, per synecdochen. Prædictum id a Christo Joan. II. *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Præfiguratum in Jona quod triduo in ventre ceti fuit, Matth. XII. Joan. II. Ratio seu congruentia hujus rei prima est, quia ex una parte debuit certo constare mors Christi, ad quod sufficiebat triduum ; ex altera non debebat ejus resurrectio diu differri, ne fides credentium

corrueret, et ne caro Christi corrumperetur. Recte ergo tertia dies decreta est resurrectioni. Ita D. Thomas loco cit. Secunda : quia, si tardius surrexisset, non videretur surrexisse, sed quis alius : nec fuisset habitus mortis triumphator. Tertia : quia « Per resurrectionem Christi tertium tempus incipiebat; nam primum fuit ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Incepit etiam in Christi resurrectione tertius status sanctorum; nam primus fuit sub figuris legis, secundus sub veritate fidei, tertius erit in æternitate gloriæ, quem Christus inchoavit resurgendo. » Ita S. Thom. loco cit.

II. Quare resurrexit Christus? Respondet ad hoc idem doctor, III. p. q. LIII. art. I. « Dicendum, quod necessarium fuit Christum resurgere propter quinque. Primo quidem, ad commendationem divinæ justitiæ, ad quam pertinet exaltare illos, qui se propter Deum humiliant, secundum illud Luc. I. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles, quia ergo Christus propter charitatem et obedientiam Dei se humiliavitque ad mortem crucis, oportebat, quod exaltaretur a Deo usque ad gloriam resurrectionis. Unde ex ejus persona dicitur in Psalm. Tu cognovisti, id est, approbasti sessionem meam, id est, humilitatem meam et passionem et resurrectionem meam, id est, glorificationem in resurrectione; sicut glossa exponit. Secundo, ad fidei nostræ instructionem, quia per ejus resurrectionem confirmata est fides nostra circa divinitatem Christi, quia ut dicitur, II. Cor. ult. Etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute Dei. Et ideo I. ad Cor. XV. dicitur : Si Christus non resurrexerit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides nostra. Et in Ps. dicitur : Quæ utilitas erit in sanguine meo, id est, in effusione sanguinis mei descendendo quasi per quosdam gradus malorum in corruptionem? Quasi diceret : Nulla. Si enim statim non resurgo corruptumque fuerit corpus meum, nemini annuntiabor, nullum lucrabor, ut glossa exponit. Tertio, ab sublevationem nostræ spei, quia dum videmus Christum resurgere, qui est caput nostrum, speramus et nos resurrecturos. Unde dicitur I. Cor. XV. Si Christus prædicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est? Et Job. XIX. dicitur : Scio, scilicet per certitudinem fidei, quod redemptor meus, id est, Christus, vivit, a mortuis resurgens, et ideo in novissimo die de terra surrecturus sum : reposita est hæc spes mea in sinu meo. Quarto, ad informationem vitæ fidelium secundum illud ad Rom. VI. Quoniam Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ

ambulemus. Et infra : Christus resurgens ex mortuis jam non moritur : et vos existimate mortuos esse peccato, viventes autem Deo. Quinto, ad complementum nostræ salutis, quia sicut per hoc quod mala sustinuit moriendo, ut nos liberaret a malis, humiliatus est : ita glorificatus est resurgendo, ut nos promoveret ad bona secundum illud ad Rom. IV. traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. »

III. Qua pompa et quo apparatu surrexit? Respondetur primo, cum terræ motu, quo perterriti custodes facti sunt veluti mortui. Factus est autem hic terræ motus, propter custodes, ut timore dejecti et terrore angeli consternati surgere, et hæc Judæis nuntiarent ac testes ferent veritatis, inquit Euthymius. Prædictum de illis videtur Nahum III. *Custodes tui quasi locustæ, quæ confidunt in sepibus : in die frigoris sol ortus est et avolarunt.* Dies frigoris erat dies sepulture Domini : orto igitur præter spem sole, Christo inquam resurgente, avolarunt præ timore custodes. Secundo, ad honorandam Christi resurgentis majestatem. Solent passim principes adventantes in civitatem, æneorum explosione tormentorum excipi. Idem ergo terra Christo ad se ingredienti et ab inferis revertenti fecit. Tertio, ad notificandum angeli descensum de cælo. Hanc causam reddere videtur Matthæus ; ait enim : *Terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo.* Quarto, ad indicandam Christi victoriam ab inferno domito reportatam. Ut enim ventus terræ cavitatibus inclusus et vi erumpens terram scindit cum fragore : ita Christus ab inferis divina vi prodens, limbum dirupit et infernum perterrefecit. Devoraverat terra prius hominum corpora, sed quia inter illa admisit etiam cibum corporis Christi innocentissimi et qui non poterat corrumpi; ideo omnia ejus viscera conturbata fuerunt et cibum illum cum ingenti ructu ejecit.

Secundo, cum angeli internuntio. Expressit autem is statum redivivi Christi, necnon omnium gloriosorum corporum. Angeli enim impassibiles sunt, vulnerari et mori nequeunt. Agilissimi sunt, ut in eo patet, qui brevissimo temporis spatio detulit Habacucum in Babylo-niam ad Danielelem. Subtilissimi sunt, quia idem ille penetravit in lacum Danielis clausum, nullis confractis seris, nec regio amoto sigillo. Clarissimi sunt, siquidem Matthæus de angelo isto scribit : *Erat aspectus ejus sicut fulgur, c. XXVIII.* At hæc sunt quatuor dotes corporis glorificati Christi. Præterea apparuit juvenili forma ; quia Christus ea ætate, qua erat mortuus, surrexit,

juvenili scilicet et decora. Sedit quoque ad quietem ejus designandam post peractam pugnam ; necnon judiciariam potestatem. A dextris denique sedit, quia ad dextram Patris sessurus erat Christus.

Tertio, una cum multis sanctorum corporibus, quod scribit Matth. c. XXVII. nec prius factum esse videtur quam resurgere Christus. Voluit autem Dominus suscitare secum aliquorum sanctorum corpora, primo, ut suam charitatem et liberalitatem ostenderet, qui non poterat se continere, quin bonum resurrectionis suæ et aliis mox communicaret, ad instar nimirum nobilis aquilæ quæ prædam suam sola non comedit, sed cum aliis avibus se comitantibus dividit. Secundo, ut hi pauci essent testes resurrectionis ejus, et hinc nos quoque spem conciperemus, resurrecturos etiam suo tempore nos, quemadmodum surrexerunt isti. Tertio, ut nobis aperiret voluntatem suam, qua desiderat, quantum in ipso est, ut mox omnes resurgamus spiritualiter novam inchoantes vitam ; ac sicut ipse feralem exuit amictum, et induit cælestem : ita nos exuto veteri homine induamus novum, ac quantum fas est corpus gloriosum, simusque immortales cum firmitate, ne amplius ad lethalia peccata redeamus, sicut Christus semel resurrexit, non amplius moriturus : impassibiles, nullis animi perturbationibus aditum præbentes, quæ morbum aliquem animæ adferant : splendentes lumine internæ cognitionis rerum cælestium ; agiles ad exequendum absque ulla repugnantia, quicquid erit voluntatis Dei ; subtiles et spirituales, ita omnibus terrenis renuntiantes, ut nihil ex eis, nisi quod sit necessarium accipiamus, ut conversationem nostram habere in cælis possimus, quamvis corpore versemur in terris. Quod nobis præstet Deus.

## CONCIO V.

## QUOMODO CUM CHRISTO RESURGENDUM.

I. Surgendum vere. — II. Surgendum integre. — III. Surgendum firmiter. — IV. Surgendum ad normam corporis gloriosi.

## THEMA.

*Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quarite.* Coloss. III.

Quando Christus adhuc infans in templo præsentabatur, prophetavit de illo Simeon : *Ecco positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel,* Luc. II. Id vero completum esse

hodie, non difficile apparet. Scimus enim multos sanctos resurrexisse cum Christo, venisse in sanctam civitatem et apparuisse multis. Vicissim custodes sepulcri, Christo resurgente, facti sunt velut mortui: principes etiam et sacerdotes ex Christi resurrectione facti perversiores, teste S. Matthæo, cap. XXVIII. Istis ergo in ruinam, illis in resurrectionem Christus resurrexit. Idque fit usque hodie, maxime hoc tempore cum ab aliis in ruinam et iudicium, ab aliis in resurrectionem et vitam Christus in eucharistia sumitur. Et quamquam bene spero, neminem esse nostrum, cui ruinam attulerit Christi resurrectio, sed omnes nos et singulos cum ipso resurrexisse; tamen ne in re tanti momenti aliquis decipiatur, ideo merito inquirimus, an et nos ita surrexerimus, quemadmodum surrexit Christus.

I. Surrexit Dominus vere, uti dixerunt discipuli, Luc. XXIV. Verissimam enim resurrectionem suam probavit Dominus, quando discipulis non modo crebro apparuit et cum illis locutus est, sed etiam cum eis comedit et palpabilem se præbuit. Non ita surrexit Samuël, qui evocatus a Saule de mortis, apparuit quidem pythoniæ in assumpto et phantastico corpore: sed non fuit ea vera resurrectio, I. Reg. XXVIII. Ad hunc modum omnes quidem hoc tempore videmur resurrexisse, et quidem aliqui sibi ipsis, sed unam revera omnes resurrexissemus, nec reperiretur qui adhuc in fœtido vitiorum suorum sepulcro jaceret! Neque hoc miretur aliquis quod dico; si enim episcopo Sardiensi scripsit Joannes, Apoc. III. *Nomen habes quod vivas, et mortuus es*, quanto magis id nostrum alicui contingere potest? Imprimis enim si quis a notabili tempore non est confessus, et probabiliter gravibus peccatis fuit obstrictus, nulla tamen aut levicula conscientie examinatione præcedente ad confessionem festinavit, et ea tantum, quæ obiter incidebant, recensuit: dico talem hominem nondum surrexisse ad gratiam, sed adhuc in sepulcro dæmonis et statu damnationis jacere. Quemadmodum enim necesse est civitatem aliquam malis moribus plenam esse, cujus magistratus dormit et nullam aut levem inspectionem habet, licet ille principi suo rationem gubernationis suæ reddens, dicat se nihil in ea culpæ posse: si enim is vultum gregis sui non sedulo recognovit, quomodo commendare illum potest? Sic etiam custodes sepulcri, si dormierunt, quomodo poterunt rationem reddere magistratui de Christo furtim ablato? Et quomodo fieri potest ut in magno populo non multa peccata regnent, maxime dormiente patrefamilias et rectore? Idem dico in præsentia: Fieri nequit ut

in animo versante inter tot passiones et mundi illecebras, non dominantur multæ cupiditates, maxime si rector hujus civitatis dormiat. Quod si postea confessario rationem reddat, et in nullo suos accusare sensus et passiones queat, sola ei inquisitio defuit. Ac licet forte non habeat aliud quod mortale, si tamen hoc non scit, probabiliter hoc ipso quod negligit inquirere, salutem suam in discrimen ponit ac pro nihilo ducit. *Maledictus enim qui facit opus Dei fraudulenter* (Septuaginta vertunt, *negligenter*.) Jer. XLVIII.

Deinde, si quis non habuit contritionem de peccatis suis lethalibus, vel saltem attritionem tempore confessionis: nondum resurrexit, adhuc jacet in sepulcro. Quomodo enim potuit ei Deus remittere offensam, si is nondum agnovit culpam nec retractavit? Nimis magnus est Deus, qui nequaquam placatur offensus, nisi offendens coram eo se humiliet, culpam agnoscat et defleat. Et quid mirum? Homines hoc exigunt et domini præsertim: cur non magis Deus?

Tertio, si quis non habuit propositum serio vitandi peccata et propinquas peccandi occasiones, nondum resurrexit: adhuc enim pugionem sub toga gestat, volens iterum nocere data occasione, et offendere Deum: retraxit tantum venenum, brevi revocaturus, ut de novo noceat. Unde S. Isidorus, lib. de summo bono, cap. XVI. ait: *Illusor et non penitens censendus est, qui facit aut facere cogitat, cujus dolorem præ se fert.*

Deinde, si quis sciens volens mortale peccatum reticuit in confessione, absque urgente et rationabili causa (qualis foret si rationabiliter timeret quis grave damnum sibi inde emersurum) nondum is surrexit. Ratio, quia si vel unum capitale Dei ac sui ipsius hostem retineat ac foveat in domo sua, nonne filius mortis et Dei inimicus erit? Nec etiam remittitur unum peccatum absque alio. Unde Christus quando plures dæmones in eodem homine invenit, omnes simul ejecit. Et quid profuisset ejicere unum sine altero? Ad hæc qui de peccato surgere et in statum gratiæ reponi vult, Deum diligere debet. *Quomodo autem amas me*, inquit Dalila Samsoni quando secretum ejus expiscari ab eo non poterat) *cum animus tuus non sit mecum*, Jud. XVI. cum totus adhuc deditus sis pristinae conversationi, societati, poculis, aleis, usuris, etc. Hoc igitur lecto qui decumbit, nequaquam resurrexit, licet vivere se putet; quinimo profundius sepultus est, et grandior adhuc lapis advolutus ejus sepulcro, qui tam temere et graviter cum Deo suo tulit.

II. Surrexit integre, nihil, quod ipsius erat relinquens in sepulcro, non capillum, non pedem,

non manum, non dentem, etc. Ita nos in sepulcro peccatorum nec affectum quidem peccati relinquere debemus. Ecce enim angelus in carcere Petro excitato præcepit: *Præcingere et calcæare caligas tuas, circumda tibi vestimentum tuum*, Act. XII. quia voluit ut is nihil relinqueret in carcere, cujus amore retrahi posset. Pharaon plagis coactus, dimittere quidem voluit viros in desertum, sed feminas et parvulos retinere; demum pecora tantum eorum. Sed respondit Moyses: *Cuncti greges pergunt nobiscum, non remanebit ex eis unguis*, Exod. X. ne videlicet per hæc retraherentur in Ægyptum labiles Hebræi. Ergo multi quidem resurgunt, sed pedem adhuc in sepulcro habent, dum ea retinent vel repetunt, quæ ipsi petra scandali et occasio sunt relapsus, v. g. libros hæreticos vel impuros, quos legerunt prius, domos suspectas, societates pravas, commercia periculosa: item amuleta vel figuras aut scripturas superstitiosas. Si toti resurrexissent, talia abjicerent sicut Actor. XIX. legitur: *Multi credentium veniebant confitentis et annuntiantis actus suos. Multi autem ex eis, qui fuerunt curiosa sectati, contulerunt libros et combusserunt coram omnibus*. Ergo qui cum periculo salutis inter hæreticos degit, ab eis discedat, et liberos suos avocet: qui habet domi suæ pellicem, vel personam sibi periculosam, amoveat: choreæ et compositiones vitentur: ebrietas caveatur, merces et pecuniæ adulterinæ abjiciantur, pecunia ad usuram credita repetatur, lusu abstinence, susurriones excludantur, societati malæ renuntietur.

Quis enim vestrum clavum acutum in scamno videns, in quo vestem laceravit, non continuo illum extrahit? Quis foveam in domo tolerat, in quam incidens pedem fregit? Clavus acutus est quælibet occasio peccandi: *Fovea profunda metrix*, ait Sapiens, Proverb. XXIII. Ecce eam non amovetis? *Cur feminas reservastis?* ait Moyses principibus exercitus: *Nonne istæ sunt quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam?* Num. XXXI. Certe Moyses vitulum illum, qui occasio idololatriæ fuit Judæis, comminuit et combussit cineresque in aquam sparsit, Exodi XXXII. Sic prudens pater arcum, quo filius se læsit, projecit in ignem. Qui hoc non facit, pedem, id est affectum, adhuc in sepulcro tenet et facile retrahi potest: sicut canis cum catena aufugiens.

III. Surrexit firmiter. *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur*, inquit apostolus ad Rom. VI. Ita vero suscitatio mors animæ, id est peccatum, dominari in posterum non debet. Suscitatus a mortuis erat Lazarus, et qui cum Christo resurrex-

runt et apparuerunt multis, sed non ad vitam immortalem: iterum mortui sunt. Tales sunt, qui post confessionem et tempus paschale mox iterum desideris suis habenas laxant ad pristina peccata. Ariolus ille Balaam in itinere territus ab angelo bonam mentem induerat: paulo tamen post ad ingenium suum rediit, Num. XXIII. Dum arca portaretur per alveum Jordanis, steterunt aquæ et continuerunt fluxum suum, Jos. III. sed postquam arca transiit, iterum redierunt ad priorem cursum tendentes in mare mortuum. Idem multis evenit, qui in hebdomada sacra desinunt aliquantisper a cursu suo ordinario, tendente ad infernum, quia tunc per eos transiit arca fœderis, s. eucharistia vel Christi passi memoria. At post hæc mox repetunt cursum suum; similes item grassatoribus nocturnis, qui ubi vident satellites adventantes, arma deponunt tuto loco quasi nihil unquam mali moliti essent, sed ubi satellites transierunt, arma resumunt et novos tumultus concitant. Quamdiu confessarii scrutantur et reprehendunt peccatores, tamdiu illi sese continent et deponunt ad tempus, aleas, gladios, pocula, carnis esum, labores interdictos, etc. at postquam horum manus evaserunt, omnia illa resumunt. Sed quæ utilitas, quæso, et quis fructus talis resurrectionis? *Canis reversus ad vomitum suum et sus lota in volutabro luti, quæ utilitas utrique?* II. Petr. II. Quid profuit uxori Loth exiisse de Sodomis, si postea retrospectiō versata est in statuum? Quid profuit Israelitis exiisse de servitute Ægyptiaca, si postea in deserto Deum offenderunt et omnes interierunt? Quid profuit Pilato, voluisse Christum dimittere et innocentem proclamasse, si postea ob amorem Cæsaris eundem condemnavit? Quid prodest, magno pretio redimi de patibulo, si redemptus et dimissus, mox alibi capiatur et suspendatur? Quid profuit Judæ restituisse et pœnituisse, si postea se suspendit? Quid profuit Balaamo benedixisse Israelitis ac dixisse: *Moriatur anima mea morte justorum et fiant novissima mea horum similia*, si postea relapsus periiit? Sufficit dæmoni vicisse se in fine, et ideo calcaneum nostrum observare dicitur, Ps. LV. Et nonne expulsus, videns domum scopis mundatam, satagit reverti cum septem aliis spiritibus nequioribus se? Et ubi rursus ingreditur, fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.

Ac licet post relapsum, iterum sit spes veniæ et locus pœnitentiæ, incertum tamen est, utrum eum obtenturus, adeoque rursus excitandus sis. Quid enim si in peccatis indurescas et obsorbescas? Audi S. Gregor. Nazianz. orat. in s. bapt.

tisma : *Cave, inquit, ne rursus emoriaris iisque qui in sepulcris habitant, aggregeris ac peccatorum tuorum funibus constringaris. Incertum enim est, an rursus ex sepulcro excitaberis usque ad postremam resurrectionem.* Sane Balaam cum ad ingenium rediisset et modos satisfaciendi impio Balaam quaesiisset, inter infideles occisus est.

IV. Denique resurrexit cum corpore glorioso, cujus quatuor sunt dotes, impassibilitas, claritas, agilitas, subtilitas. Igitur, *sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem caelestis*, inquit apostolus, I. Cor. XV. ac primo simus, ut ipse, impassibiles, id est, impenetrabiles, sive prosperae sive adversae fortunae tela in nos mittantur, ut dicamus illud Soeratis : *In caelum mente conscendi, solem hunc solumque hoc despicio.* In triumphantes olim convicia dicere licebat : verum ne illi his moverentur aut vindictam sumerent, fascinum invidiae medicum curru appensum gerebant, teste Plinio, l. XXVIII. c. IV. Hæc nobis dos adhæreat, ut ne moveamur telis, quæ invidi in nos jaculantur. Secundo, simus fulgidi et clari, ut luceat lux nostra coram hominibus palamque fiat nos revera cum Christo surrexisse, ut hinc illustrentur et incalescant, etiam proximi nostri. Tertio, simus agiles et prompti ad ea peragenda, quæ officii nostri sunt et obedientiæ christianæ, ad implenda Dei, Ecclesiæ et superiorum præcepta, virtutumque exercitia, quales erant illi monachi apud Cassianum, l. IV. insit. cap. XII. qui pulsu vocati ad orationem aliudve exercitium, dum scriberent, litteram quam inchoarant non finiebant, quin illico exsilirent ad quod vocabantur opus. Quarto, simus subtiles, uti Christus fuit : penetremus januas clausas, cum proximo succurrendum est; penetremus muros, valla, armatorum cuneos, cum pro gloria Dei dimicandum est; penetremus caelos, cum orandum et contemplandum, ut mente a terra in caelum elevati, jungamur sanctis Deoque uniamur : quod nobis ipse donet, qui hodie surrexit, etc.

## CONCIO VI.

## ALLELUIA QUID SIBI VELIT.

I. Hortatur ad gaudium spirituale.—II. Ad Dei laudem et gratiarum actionem.—III. Ad pugnam spirituales.—IV. Ad vitæ renovationem.

## THEMA.

*Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia.* Apocal. XIX.

Mirabitur forsitan aliquis, qui Ecclesiæ contigit, quod quæ paulo ante lugubre illud *Kyrie*

*eleison et Miserere* toties nobis occinuit, tam repente nunc prorumpat in lætissimum alleluia idque toties ingeminet. Sed respondetur Ecclesiæ accidisse quod contingere solet mulieri, quæ, ut ait et prædixit ei Dominus, Joann. XVI. *Cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus : cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Itaque Ecclesia per quadragesimam quidem tristes fuit, quia deflevit partim sua peccata, partim Christi passionem, maximopere desiderans liberari a peccatis et videre Christum resuscitatum unaque cum eo filios suos. Nunc ergo quoniam hodie a penitentiae doloribus liberatam sese conspicit, necnon redivivum Christum et cum eo filios suos secundum animam resuscitados; hinc illa exultatio, hinc jubilus et alleluia. Ivit prius quodammodo cum Magdalena ad sepulcrum plorans; nunc autem viso Domino regreditur cum lætitia dicens : *Quia vidi Dominum.* Superest nunc ut audiamus quid sibi velit alleluia.

I. Hortatur nos ad gaudium spirituale, quo beneficium reconciliationis nostræ agnoscimus, q. d. *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea.* Quemadmodum enim milites cum imperatore suo de prælio victores redeuntes clamabant : *Io triumphe*, teste Varone, lib. V. de lingua latina; et in hodiernum etiam qui jubulare volunt, *Io* ingeminant, voce significante lætitiæ : ita etiam Ecclesia modo quia per Christum victoriam adeptam est, idcirco gaudium suum his diebus per vocem jubilationis jure merito enuntiat. Postquam Judæi permissione Cyri de captivitate Babylonica ascendissent in terram suam et dirutum templum suum in Jerusalem reedificassent, *vociferantes cum lætitia*, ut dicitur I. Esd. III. *elevabant vocem : nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, etc.* Deposueramus hactenus a dominica septuagesima usque ad hanc diem canticum alleluia ob captivitatem nostram, qua sub servitute dæmonis tenebamur. Unde sicut Judæi in Babylone non poterant canere cantica lætitiæ dicentes : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* ita et nos quamdiu extra gratiæ statum nos constitutos vidimus, non potuimus canere alleluia. Quoniam igitur hodie per Christum ejusque sacramenta ad patriam nostram regressi sumus (uti bene speramus) et præterea videmus templum nostrum, Christum, paulo ante in passione dirutum (juxta id Domini : *Solvite templum hoc et post triduum reedificabo illud*) denuo restauratum et majore quidem gloria quam fuerit prius; cur non igitur et nos *vociferantes cum lætitia vocem elevemus et clamemus alleluia?*

Non videtur prætereundum, quod scribit Humbertus episcopus, libro contra Græcos his verbis : « Quod autem novem hebdomadibus alleluia intermittimus, non incongrue per novem ordines angelorum accipimus, quorum decimus ordo per superbiam corruens, angelicum numerum imminuit et felicitatem perturbavit. Qui condolentes suæ diminutioni, parem ruinam timentes sibi, a perfecta laude creatoris fuere præpediti. Quorum recuperationi et consolationi, consulens omnipotens creator, primum hominem de limo terræ formavit, qui sui generis multiplicatione damna cœlestis patriæ resarciret, atque angelorum gaudia suppleret. Qua spe angelicus chorus admodum exhilaratus, nec mora, ex lapsu ipsius hominis fuit conturbatus : unde ille novem ordinum concentus in laude creatoris remansit imperfectus, donec in Christo resurgente resurrexit prolapsus ille protoplastus, illo augmento sui collegii et meliori spe angelicus exercitus gavisus in novem alleluia consurrexit totus, et in eo perstat devotus. Quem et nos pro modulo nostro imitantes, a septuagesima quando lapsus protoplasti in Ecclesia recitatur, alleluia novem hebdomadibus intermittimus, scilicet in pascha ubi Christus resurgens a mortuis tristitiam nostram in gaudium vertit, et alleluia reddit. » Hæc Humbertus.

De Græciæ urbibus quæ in servitute Philippi Macedonum regis tenebantur, scribit Valerius Maxim. l. IV. cap. ult. quod cum Quintus Flaminus pop. Rom. dux, devicto Philippo, et ad insigne spectaculum tota Græcia conveniente per præcones, omnes Græciæ urbes, quæ Philippo servierant, liberas esse atque immunes jubere, Græci audientes tantis clamoribus aerem compleverint, ut aves supervolantes attonitæ paventesque deciderint. Sed quid ista libertas, si cum illa comparetur, quam nobis attulit hodie Christus? Tenebamur enim non in hominis alicujus, sed diaboli servitute, siquidem illi per peccata nostra misere subjiciebamur, et ad gehennam obligabamur, nec erat ullus modus excutiendi jugum ejus, quia non sufficiebant humanæ vires ad nos redimendos. Unus Dei Filius redimere nos poterat, suaque passione redemit, et hodie cum mortuis surrexit, libertate nos donavit, necnon adoptione filiorum Dei, quæ sola vera est libertas, et cœlesti hæreditate. Itaque merito hodie omnes vocem exaltamus et clamamus alleluia : quia sicut hac lætitia Christum servatorem nostrum glorificamus, ita adversarios nostros dæmones in aere volitantes perterrefacimus, exanimamus et quodammodo ex aere in oreum dejecimus. Cæterum hoc gaudium non quaecum-

que sed spirituale esse debet ad Dei laudem cedens, uti sonat alleluia, id est, laudate Deum. Congaudere enim debemus in primis Christo resurgenti, qui post tot passiones suas tantam consecutus est gloriam; gaudere ob resurrectionem nostram, quia peccatorum vinculis exsoluti libertatem filiorum Dei consecuti sumus per penitentiam; sicut lætatur aliquis qui e trirēibus aut Turcico jugo evasit, et sicut gaudet passer cum evadit laqueum vel caveam et cantillat præ gaudio. *Anima enim nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*, Psalm. CXXIII. Sed heu! mundus hoc tempore non intelligit hoc gaudium nec canit alleluia, sed Io Bacche potius, quia ideo lætantur, quod tempus jejunii, orationum, penitentiae et confessionis, vel etiam hiemis præterit, nunc vero redeant carnis esus, tripudia, choreæ, tibiarum et fidium sonitus, nova peccandi libertas, ver amœnum, avium cantus, etc. Hi sane non intelligunt gaudium paschale, sed lætantur in nihilo, ut Amos, c. VI. dicitur : *Et exultant in rebus pessimis.* Isti non modo perterrefacient gaudio suo volucres cœli, dæmones, sed potius exhilarabunt. Lamentatur id D. Bernard. serm. 1. de resurrectione Domini cum ait : « Proh peccandi tempus, terminus recidendi, facta dolor est resurrectio Salvatoris. Ex hoc nempe commensationes et ebrietates redeunt, cubilia et impudiciæ repetuntur, et laxantur cupiditatibus fræna : quasi ad hoc surrexerit Christus, et non magis propter justificationem nostram. Sic honoratis, miseri, Christum, quem suscepistis? Venturo parastis hospitium confitentes peccata cum gemitu, castigantes corpora, elemosynas impendentes : et ecce susceptum proditis inimici, imo exire compellit, priores nequitiis admittendo. Quam minus præsentem debetur quam venturo? Quid minus reverentiæ resurrectionis tempus exigit, quam passionis? Sed vos ut manifestum est neutrum honoratis, etc. » Hæc ille. Possemus dicere istis quod Luc. VII. Phariseis dixit Dominus : *Cantavimus vobis tibiis et non saltastis : lamentavimus et non plorastis.* Etenim tempore quadragesimali lamentavit nobis Ecclesia, incitando nos ad compatiendum Christo patienti et defenda peccata nostra; nunc vero cantat nobis tibiis, incitando ad spirituale gaudium ut Christo resurgenti congaudeamus, et in Domino gaudeamus, propter resurrectionem nostram : sed quid interim homines? Nec ibi plorarunt ob Christi passionem et peccata sua, sed confessionem ex abrupto sine ulla diligentia et lacrymis fecerunt, neque hi lætantur ut decet, sed ineptæ solum lætitiæ se totos dant deduntque. Sane Timothæus Alexandri Magni musicus, ut refert Basil. XXIV. Alexandrum pro varietate car-